

**Dissertatio in propositiones physicomathematicas / De natura iridos R.P.
Balthassaris Conradi.**

Contributors

Kronland, Johann Marcus Marci von, 1595-1667
Conradi, R. P. Balthassaris.

Publication/Creation

Prague : G. Schyparz, 1650.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gdrk46md>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>
















35376/A











D

P

D

N

R.

ESV,

T

Ioanne

o, & M

Da

Ex

58773n

DISSE^RTATIO
IN
PROPOSITIONES
PHYSICOMATHEMA-
TICAS.
DE
NATVRA IRIDOS

R. P. Balthasaris Conradi, Soc:
IESV, AA. LL. & Philos: Magistri, Ordinarij^j Mathe^{seos} Professoris.

Authore

Ioanne Marco Marci S. C. M. Consilia-
rio, & Medico Cubiculario, nec non Medicinae
primario Professore, in Universita-
te Pragensi, & in Regno Bo-
hemiae Physico

seniore
P. Joannⁱ L. Kubin
PRAGÆ.

Anno M. DC. L.

Ex Typographia Georgij Schyparz.

AVGVSTISSIMO
ET INVICTISSIMO
ROMANORVM
IMPERATORI
FERDINANDO
TERTIO.
HVNGARIÆ ET
BOHEMIÆ
REGI.
ARCHIDVCI AVSTRIÆ, &c.
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.



FLexis Sol remeans a leſt habenis,
Brumalem fugiendo capricornum.
Mundo jámq; novum retexit annum.
Quo catus hominum, fidelis omnis,
Toto jubilat Orbe Christiano.
Iter publica vota magne Cæſar,
Quæ pro te cumulant, tibiq; cuncti
Hunc feliciter ominus tantum :
Elinguem minimè deceat Poëtam,
Compressis retinere verba labris.
Sed quid dulciloquas ego cainænas
Turbem versibus anser impolitis ?
Non est exiguum, canente vate,
Magni Cæſaris auribus placere.
Musarum Pater ipse quas veretur.
Hæc ergo tibi, magne Cæſar, Iris
Pro me parua, loquatur, atq; votis
Hunc ardentibus auguretur annum.
Paruos parua decent : solētq; paruis
Ignosci : quibus est venusta forma:
Quæ condire solet lepore cuncta.
Non hæc degenerauit à Parente:
Quamuis mole latens minore, prodit
Nativum tamen omnibus decorem:
Lucus auricomis suis ocellis.
Et certos jaculatur in cor ignes.

A 2

A te

A te principium suos in ortus
Cæpit: cùm radijs suis soluta
Nubes horrida: quæ tuam fidelem
Præ cunctis, tenuit Pragam triurbem.
Nubes sanguineo cruento fœta.
Dum cives, studiosus, atq; Clerus
Armis induitur: tuisq; filius
Magnis auspicijs, resistit hosti:
Inter flammiuomos globos, & ignes:
Inter ruderata manuum, domosque
Lapsas: dum pedibus fugit sub ipsis,
Hincens cuniculis reclusa tellus.
Nitro sulphureas vomitq; flamas.
Munimenta ruunt: volant in auras
Discerpti male, militantis artus.
Cessit barbaricus furor tuorum
Virtuti: radijs suis repulsa
Caligo fugit omnis: atq; rutsum
Regnat Cæsar in urbe FERDINANDVS.
A cuius radijs refulgit Iris:
Quæ pro me tibi vota magne Cæsar,
Reddit, mente piâ Deum precando:
Annos tot numerare Iubileos,
Vno quot numeras dies in anno.

Humilimus servus.

To: Marcus Marci.

Ad Lectorem.

Si liber de arcu cœlesti, quem
anno superiore in lucem dedi, eam fortas
nam natus fuisset, ut in notitiam plurimi
um litteratorum, quorum iudicium unicè excep-
tebam, perueniret; abstinuisse fortasse ab
hujus tractatūs labore. Verum quia non nisi
paucis exemplaribus in amicos præsentes distri-
butis, reliquis iter ad loca paulò remotiora, bel-
li calamitas præclusit; non abs re fore judicatur.
si hac breui Synopsi aliqualem notitiam, & ver-
luti prægustum eorum, quæ in dicto libro con-
tinentur, exhiberem. Quod verò in hunc fi-
nem Theorematæ R. P. Balthassaris Conradi
Soc: IESV Matheos Professoris hic examinans
da delegerim; his quidem rationibus fuimus
tutus. Etenim sub ipsum apparatus editionis
meæ, quod ipsum minimè latebat, in lucem pro-
diit hic libellus ingeniosus de naturâ Iridos: &
non sine plausu vulgi, & quorundam Geometriæ
atq; Opticæ non imperitorum fuit exceptus.
Quem tiam disputationi publicæ, pro more
Academico subjecit. Cui tamen ob iter ad aquas
illas, amosa tum temporis à me susceptum, in-
teresse minimè potui: tametsi vir humanissimus

Et mihi singulariter amicus id in votis haberet.
Volui itaq; honorem tum neglectum hac occasio-
ne aliqualiter compensare: neq; jam in auditio-
rio priuato unius Academie, verum in omnium
luce pro palam disputare. Utar autem hic
libertate, quam ultrò omnibus concessit: Et quâ
ipse prior usus fuit in alijs reprehendendis, ut
Scheinero, Kirchero, Et ipso Genio naturæ Ari-
stotele. Quod idem jus ipsi in me erit. utrig; enim
veritas proposita: unde gratia ei, qui ab errore
alterū reuocārit, debetur. Neg; enim mirum in
his naturæ arcanis subinde labi: cùm facilius
errorem alienum, quâm proprium agnoscamus.
Quandog; verò non statim, sed cum tēpore error
detegitur: ubi nimirūm delicto feruor, quo in
proprijs inuentis nobis nimium cōplacem⁹. Sub-
ande quoq; hallucinatio mētis, atq; error in prin-
cipio leuisculus, in progressu euadit magnus:
quemadmodum accidit mihi in hoc eodem libro
de arcu cœlesti. Placet enim prius errores mes-
os, quâm alienos referre: quò manifestum fiat,
me solum veritatis amore hoc impulsu. Ad
Theorema itaq; 64. assumitur radius in gutta
refractus, si remeare cōtingat, tanqua ab alio
luminoso productus, viam sequi radij incidentis:
ac proinde eandem refractionem subire. Et
quia

4

quia radius in gutta reflexus eandem habet inclinationem; eandem quoque posuit hujus in egressu refractionem; hoc est grad: 11. prim. 34. Est autem inclinationis radij reflexi grad: 30. unde angulus ex aqua in aerem refractus efficitur grad: 41. prim. 34. quem tamen Athanasius Kircher cum Vitellone ponit non nisi grad: 37. prim. 30. Inde ergo factum ut fol. 248. in quaestione de angulo coni radiosi, hunc justo minorem fecerim: & in Theor: 98° diametrum coronae paulo majorem semidiametro Iridis; quae eadem est paulo minor. Quia tamen error a me commissus tam benè cessit; ut hujus correctione nihil omnino de operis structura sit loco motum, vetremissum: quin imo majus robur omnibus inde accessit. Cum enim angulus semiconi evaderet grad: 36. prim: 52; correctio eundem ampliavit usque ad grad: 40. prim. 38. atque ita magis conformem reddidit observationi factae a Maurolyco: qui altitudinem Iridis horizontalis a se comprehensam ait grad: 45. ut differentia non major sit, quam grad: 4. prim. 22. tametsi idem afferat quandogm minorem comprehendendi: ut ita nichil certi ex hujusmodi observationibus colligatur liceat. Est autem connexio inter hunc angulum, & radium incidentem prorsus necessaria;

ria. Sicuti enim ex inclinatione radij grad 41.
prim. 34. prodit angulus dimidij coni, grad: 40.
prim: 38. ita, si eundem majorem supponamus;
necessè quoq; radium colorigenum incidere ma-
gis oblique. Et si quidem altitudo Iridis hori-
zontalis assumatur grad: 45; dabit inclinatio-
nem radij paulò minorem, quam grad: 48. que
altitudinem Iridis requirit grad: 45. prim. 7.
tamen si in quaestione de angulo coni radios i. hanc
inclinationem majorem quam grad: 60. requiri-
re habamus, ob errorem videlicet prædictum.

Hortor itaq; omnes, quibus obseruationes cæle-
stes sunt cordi, quatenq; Iridi horizontali insidi-
entur, hujusq; altitudinem quam accuratissimè
dimetiantur: si quidem ex hac totum negotium
pendet. quod etiam rectè monuit Abbas Mauros-
lycus. Quod si eadem altitudo fuerit deprehen-
sa, quam calculus noster prodit; nullus sanè du-
bitationi erit locus: quin omnia reliqua ve-
ritati consentiant. Si autem differre contingat;
tum inclinatione radij huic proportionaliter
sumptâ, eâdem methodo reliqua pertexem: que
inter se ita sunt connexa; ut uno moto, reliqua
omnia moueri sit necessè. In quo quider R. P.
Balthassarem Conradum multum præstar posse,
nihil dubito: qui non solum in Theoria, sed eti-
am in praxi opticae Geometria est exercitus.

Vm Iris cœlestis à nobis
sit remota, & pierunq; adsit, rur-
sumq; abeat improuisa, eaq; ra-
tione obseruationem magis ac-
curatam eludat ; rectè quidem
et alio notiore, quod eo modo, quo Iris,
ortum habeat, indagandam censes. At verò
minus rectè ab hac contemplatione excludi-
videtur prisma trigonum vitréum : quod pi-
cturam reddit Iridi similem, eamq; gem.nam,
ex utrōq; latere unam, coloribus etiam co-
modo, quo in Iride, sibi oppositis. Sicuti
enim in Geometriâ triangulus est principium
omnis dimēsionis ; ita in opticâ trigonum ad
radios colorigenos dimetiendum. Ecquidē
non nisi hujus ope in figurâ sphæricâ eosdem
inueni. Quod quā ratione à me factum, in
gratiam illorum, quibus otium, vel copia non
fuit legendi librum de arcu cœlesti, hic pau-
cis aperiam. Concipiatur itaq; animo circu-
lus trigono inscriptus, tangens singula latera
in uno puncto : & per duo illa puncta duca-
tur linea recta. Dico hanc lineam esse paral-
lelam lateri reliquo ; & latus trigoni isogoni
eidem circulo inscripti : viam verò signare
radij co.brem purpureum deferentis. Quod
sic ostendo. Radij incidentes trigono inter
perpendicularē & eidem plano parallelum,

sunt colorigeni, per theor: 36. at qui radius ha-
bens inclinationem grad: 41. prim. 34. con-
tinetur intra hos limites, estq; radius ab hoc
fractus parallelus lateri reliquo, per theor:
34. & 43. habebit ergo vim colorigenam.
Cum verò eandem inclinationem habeat ra-
dius in circulo & plano eundem circulū tan-
gente; habebit radius ab inclinatione grad:
41. prim. 34. eandem refractionem in circu-
lo & trigono: ac proinde eandē vim colori-
genam, per I. probl: ad rheor: 37. Hunc au-
tem ibidem ostendi colorem purpureum de-
ferre: inuentus itaq; est in circulo seu sphæ-
rā radius colorem purpureū deferens. Quod
verò nullus reliquorum incidentium eandem
vim habeat, ostendo. Color prouenit non
mis̄ à refractione determinatâ per theor: 18.
cāq; compositâ seu geminatâ per theor: 30.
at verò composita refractio in circulo seu
sphærā nulla esse potest similis reliquis refra-
ctionibus colorigenis in trigono, ut ibidem
probatur: nulla ergo refractio in sphærā, præ-
ter jam dictam, colorem purpureum genera-
re valebit. Hæc minutiū singula usq; ad mi-
nuta secunda enucleantur in libro de arcu
cœlesti. Vides quo usq; prisma vitrei n à te
rejectum me prouexir. Licet enim ha Iris,
ut ais, spuria sit; colores tamen cōtinet non

minus

minis veros, quam tua Iris, in globulis vitreis
concepta. Sicuti enim omnium rerum; ita
quoq; colorum radices & causæ sunt definitæ.
Quod verò addis certissimum indicium esse
imuentæ veritatis, si nullum ad hujus positio-
nem sequatur absurdum; contradicit huic
tuæ assertio. Astronomorum hypothesis non
una: quarum singulas nullum absurdum co-
mitatur: & tamē nécessaire ad minis duas ab-
errare. An verò tua Theorematata nihil ab-
sundi sequatur, deinceps videbimus.

THEOREMA I.

CVjuscunq; pellucidi corporis utraq; superfis-
cies, tam prima, quam ultima radios lucis
reflectit.

Radios lucis reflecti à primâ superficie cu-
jusq; corporis pellucidi, id quidem vere:
at verò idem fieri ab ultimâ superficie ejusdē
corporis, parùm opticè, & contra veritatem
dictum videtur. Nam exempla tua gemi-
nam quidem reflexionem probant; quod ve-
rò reflexio secunda fiat ab ultimâ superficie,
nequaquam. Mutatur enim hæc imago ad
mutati nem corporis contigi. quod mani-
festus, si aqua, oleum, pix, sevum &c. illam
superficiem tangat. Quin etiam discerpi, aut
peni-

penitus evanescere contingit, ob superficiem
hujus aperam & impolitam. Cùm ergò su-
perficies ultima non mutetur à superficie cō-
tiguâ; neq; ulla mutatio imagini ab eâ refle-
xæ superueniet. Deinde cùm aér tuo vitro
contiguus sit corpus pellucidum; nec ab
hujus superficie primâ reflexionem fieri:
quod si ab ultimâ quoq; imago reflectit; erunt
sanè ejusdem rei non duo, verùm tria simul-
áchra. Non igitur dici potest utraq; superfi-
cies corporis pellucidi tām prima, quām ul-
tima radios lucis reflectere: cùm secunda re-
flexio non fiat à superficie ultimâ ejusdē pel-
lucidi, verùm à superficie primâ alterius sibi
contigui pellucidi , vel opaci.

II.

Secunda hæc imago semper debilior est, & ap-
paret , quām prima; si pellucidum liberum
sit utrimq;.

*Quia quò longius species prouehuntur, eò debi-
liores fiunt &c.*

Non est hæc ratio qua rasters, lucis debi-
litatæ in imagine secundâ: quia nimirūm
per majus spatiū feratur ; sed quia ab aëre
subtiliore imago redditur. Quod maſfestum
in speculis argento viuo & stanno terni natis:
in quibus hæc imago secunda eit multò cla-
rior

rior & viuacior, quam prima; ob superficiem
nimis illam omni perspicuo densiorem.
Deinde vero in vitro utrinque conuexo in aqua-
lium sphærarum, imago secunda à majori
segmento remeat major & clarior, quam
imago à superficie primâ, tametsi crassitatem
vitri notabilem emensa. Quod quidem virtu-
ti speculi caui ob magnitudinem illius sphæ-
ræ tribuendum.

III.

Altera hæc imago subinde ante, subinde
post, subinde in eadem quasi ultimâ pellucis
di superficie appetet.

Nequaquam, si juxta Geometriæ normam;
lineis uti placuisse, hæc intricatiora, ut
ais, reddidisses: verum & mentem nostram
à tenebris confusè dictorum liberasses; & tu-
as positiones nimis incertas deprehendis-
ses. Tametsi ergo sensui nihil derogamus;
non tamen in his, à quibus reliqua pendent,
hunc sufficere judicamus. Cùm itaque in
utrinque conuexis reflexio secunda fiat ab aëre
eidem circumfuso; sequetur naturam speculî
caui: unde neque semper exstare videbitur
image secunda, in majoris sphæræ segmen-
tis: nec idem jus denegatum erit lenticulis
minoribus.

IV. Hæc

IV.

Hæc altera imago semper inuersa est in con-
vexitate, & maximè minoribus Sphæris; in de-
bitâ præsertim oculi à pellucido distantia, &
utriusq; ab objecto.

Hanc imaginem secundam maximè in-
versam ait in conuexis minoris Sphæræ;
cum tamen magnitudo nihil huc faciat, sed
sola figura specularis. Neq; inuersio con-
tingit ex eo, quod bina refractio & reflexio
fiat à superficie sphæricâ. Nam in vitro utrin-
que cauo bina quoq; sit refractio cum refle-
xione, à superficie sphæricâ; neq; tamen ima-
go secunda est inuersa. non igitur bina re-
fractio cum reflexione, à superficie sphærica,
pro medio termino assimi potest ad hoc, ut
imago secunda videatur inuersa.

V.

Hæc imago facilimè alienos, & peregrinos
assumit colores.

Probas ab experientiâ. Quia nimirūm à
vitre apilulâ objecto illuminato oppositâ, hæc
imago altera, in marge maximè, coloribus
iridis tingitur. Secundo à vitro utrinq; conuen-

20, candela accensa flamمام coloratam refle-
ctit : præsertim ad marginem, & finem vitri.
Tertiò in omnibus ocularibus augentibus hæc
imago altera recedere videtur à nativo colore;
idq; tantò amplius, quantò vitrum fuerit nota-
biliaris coloris.

Si comparatio fiat ad colores aduentios
& peregrinos, nullam prærogatiuam ha-
bere videtur hæc altera imago in eorundem
receptione: siue ex naturâ subjecti, quod
permeat; siue ex coincidentiâ lucis colora-
tæ. Quod manifestum objecta per se, & à
speculo reflexa per trigonum, aut vitrum co-
loratum intuenti. quin imò secunda imago à
trigono reflexa nullos unquam in eodem af-
sumit colores. Deinde hæc imago secunda
in conuexis non semper exhibet illos colo-
res, sed ubi demum ad marginem vitri ac-
cessit: unde non ex naturâ imaginis secun-
dæ, verùm ex radijs taliter refractis procedit
hic color. Præterea quò magis profundatur
in sphæra, sit obscurior, ex coloratione vi-
delicet talis medij: magis autem clara red-
ditur, quò magis vicinat margini: igitur
cùm ad suscipiēdos colores sit magis idonea
circa marginem, necesse hoc eidem conue-
nire, quatenus minùs est susceptuia coloris
pere-

peregrini, hoc est medijs seu subjecti. Non solum verò a vitro utrinq; conuexo; sed etiam à plano conuexo ejusmodi simulachrum coloratum prouenit.

VI.

SVspensus in aëre aquæ globulus, vel gutta aquæ, solis imaginem alteram tingit successivè riuacissimis coloribus Iridos.

IN suspensione tuæ guttæ cautelam adhibes, ne videlicet hoc experimentum fiat nisi Sole valdè demisso; & ut gutta veluti ex indi- visibili pendeat. Quâ quidē cautelâ minimè opus fuisset, si pilam assumpsisses paulò ma- jorem: in quâ omnia melius & clarius, atq; citrâ omnem errorem licebat obseruare. Frustra enim hic paritatem quæris tui globu- li, & illius guttæ, in quâ Iris cōcipitur: quam assequi in tam exiguae mole non licet. Tùm itaq; in omni eleuatione Solis hujusmodi simulachra colorata tibi occurrent, à pilâ cry- stalinâ, aut vitreâ reflexa. Porrò in tuâ sphæ- rulâ, seu guttâ in aëre ita librata, ut quasi in eadem sit linea rectâ, quæ per centrum Solis & oculi duci cogitatur; si sensim hæc linea ab illâ guttâ in eodem plano manenti, abdu- catur; tres Iridis colores occurvere ait: non quidem

quidem simul omnes, sed successiuè. Et pri-
mò quidē axi vicinum hyalurgum seu viola-
ceum; tum ulteriùs axe elongato vtridem :
detum in ultimā remotione puniceum. Non
posse simul percipi illos colores in majori di-
stantiâ oculi ab illâ sphærâ, verum est : siqui-
dem radij inde reflexi magis ac magis diuer-
gunt; majusq; sit interuallum, quam sit oculi
diameter : unde necesse ex uno in alium late-
raliter moueri. At verò in viciniâ sphæræ
omnes tres colores simul, Solisq; simulachrū
ijsdem tinctū videbis. Cùm itaq; Solis ima-
go non deferatur à singulis radijs, verùm ab
omnibus simul junctis; in majori verò distan-
tiâ oculi, ex quâ Iris spectari solet, non nisi
singuli radij ab oculo percipientur ; non po-
test dici Iris tot imagines secundæ Solis, à
quot nimirùm guttis in terram deciduis hī
radij oriuntur, contra tuum Theorema 7.

VII.

IRIS primaria nihil aliud est, quam Solis ima-
gines secundæ tot, à quot guttis in terram de-
ciduis versus Iridos centrum oriuntur.

PRO cuius explicatione, quando, inquis ;
Sol i guttas pluvias impingit, reflectitur
ab ulimâ g̃tarum superficie, datq; oculo ritè
situato

B

Situato inuersam sui imaginem per 4. & coloratam per 6 theor: & quia per eandem sextam propositionē, gutta axi propior reddit ceruleum Solēm; paulo remotior viridem; remotissima puniceum; ideo hi tres colores in Iride videntur. concludis indubitatum ac certum, Iridem esse nihil aliud, quam Solis imagines alteras, à guttis in terram deciduis reflexas. Verū in Theor: 6 misquam probatum fuit Solem reddi cæruleum, quando gutta axi est propior: sed dumtaxat ejusmodi colorē tum percipi à visu. Malè autem hoc trahis 4 Theor: in quo imago secunda ab oculo recipitur debetē situato: siquidem hic abest ille situs, qui oculum requirit vicinum. Tùm siquidem cernitur illa imago hujusmodi coloribus tintita. Quia verò in translatione guttae, colores distrahi contingit; neq; simul, sed successivè ab oculo percipi; necesse quoq; imaginem illis coloribus subjectam distrahi: ac proinde non totum Solem, sed tantum illius portionem eo colore tintam videri. Cùm itaq; à singulis guttis non nisi singulorum colorum radij reflectant ad eundem oculum; singuli verò radij non contineant Solis imaginem; non poterunt in Iride primaria dici tot imagines Solis secundæ, quot guttae sunt

deciduae,

deciduae, à quibus dicti radij ad oculum reflectunt: gutta enim axi propior non Solem cœruleum exhibet, verum hujus tantum portionem eo colore infectam. Et eadem ratio de radijs aliorum colorum.

Pro confirmatione addis Iridem artificiam, in horto Principis viri deliciosissimo à te spectatam. Erat, inquis, maxima, in ipsis nubibus hærere videbatur: erat viuacissima, circularis: deniq; ad veram Iridem nihil amplius ullius oculus desiderasset, idq; solum per guttas in altum sparsas è tubo verticaliter posito.

At hæc Theor: II videntur aduersarij: ubi Iridem dicis spectari in ipsis guttis, à quibus reflectitur. An igitur illæ guttæ ad nubem uliq; pertingebant? aut hæc ipsū tubū ambiebat?

Quia verò illam opinionem, quæ à singulis guttis Solis imaginem reflectit ad eundem oculum, non improbabilem judico; ad objectionem dici potest, tametsi radij colorati non nisi à refractione determinatâ fiant; neq; ob diuergia ab eodem oculo recipi valeant; posse nihilominus à reliquis punctis ejusdem superficie internæ, radios à toto Sole incidentes reflecti ad eundem oculum: & ob confluxum radij colorigeni ad idem sensuij punctum, eodem colore tingi. Cùm

enim hujusmodi guttæ habeant vim speculi
cavi, quod in omni distantia oculi totum ob-
jectum reflectit; necesse sub uno quoq; co-
lore Solis imaginem contineri.

Quod si opposas, lucem hujusmodi colori-
bus esse inimicam: quæ si à reliquo Sole huc
corradiaret; picturam exsolui & evanescere
esset necesse. Ad hoc dicendum, cùm à sin-
gulis punctis non nisi singuli radij veniant;
hanc lucem esse valde debilem: ac proinde
non posse illam picturam abolere.

VIII.

Secundaria Iris est reflexio radiorū
Solarium à contrarijs guttarum partibus.

Explicas. Prima Iris inquis, oritur à ra-
dijs Solaribus reflexis ab ultimâ guttarum
superficie, sed versus Iridos centrum. Secun-
daria autem etiam à radij Solaribus, & reflec-
xis item ab ultimâ superficie, sed in contrarias
guttarum partes, in eas videlicet, qua à centro
Iridos sunt remotiores.

Et quibusdam interjectis, Ecce, inquis,
mysterium secundarie Iridis quod multos torſit
plurimum, planissime enucleatum.

Vt planissime constet te hallucinari, & to-
tâ viâ à vero aberrare, ut ar hic figurat: quæ in

Geo-

Geometriâ, & hujus propagine opticâ est la-
pis lydius & fida Ariadne. Sit in I. figurâ C
Sol, D oculus, gutta rorida in H. Ut igitur
radius à guttâ reflexus ad oculum perueniat
in D, necesse incidere ad partes sphærulæ
A E B, cuiusmodi radius C E. qui refractus
cadet in B. & cum non assequatur perpendicularē
E H, erit segmentum B E minus se-
micirculo, & reflexio in partem oppositam
A F B, hoc est centro Iridis magis vicinam,
uti etiam volebas: idq; pro Iride primariâ.

Assumatur autem inclinatio radij C E
grad: 41 prim: 34; ab hoc enim colorem
purpureum deferri, ostensum in libro de arcu
coelesti; & radium ex hoc refractū E B esse
chordam grad: 120: illiq; æqualem radium
reflexum B F. Quia itaq; in translatione gut-
tæ color cœruleus omnium primus occurrit;
inde viridis; demum puniceus; necesse hunc
magis extimum esse: & prout in theor: 25
ais, veluti per extremam guttæ partem trans-
ire, quâ gutta non ita crassa est, adeòq; per me-
dium tenuius: at à medijs guttis reflexus radius
transit per medium jam paulò crassius: & ab int-
timis reflexus per adhuc crassius: erit sanè
chorda quam radius puniceus inducit, no-
tabiliter minor chordâ à radio purpureo in-
ductâ. Cum igitur hæc subtendat gradus

120; subtendet illa fortasse grad: 100, aut
minus. Sed ut majorem vim habeat argu-
mentum; demus subtendere grad: 115 prim:
38: cuius radius incidens habet inclinationem
grad: 45, qui sit M L. Et quia radij inciden-
tes C E. M L sunt quasi paralleli; erit arcus
E L grad: 3 prim: 26. cui si addatur arcus
L N grad: 115 prim: 38; fiet E L N grad:
119. prim: 4: & arcus reliquus N B prim:
56. Est autem radius reflexus N O æqualis
radio L N: residuum ergo L F O grad:
128 prim: 44. Quodsi auferantur arcus F L
grad: 123 prim: 26; arcus reliquus O F erit
grad: 5 prim: 18. cui si addatur N B prim:
56; fiet angulus ad peripheriam, à radijs B F.
N O, seu huic parallelo contentus grad: 6
prim: 14: & hujus semissis grad: 3 prim: 7.
Est autem inclinatio radij reflexi N O grad:
32 prim: 11; cuius refractio grad: 8 prim:
28: & inclinatio radij B F grad: 30; hujus au-
tem refractio grad: 7 prim: 48. quarum dif-
ferentia prim: 40 ex illo angulo ablatâ, resi-
duum dabit inclinationem dictorum radio-
rum grad: 2 prim: 27, pro latitudine videli-
cet Iridis; quæ tamē non nisi semissē unius gr:
cōtinet. Non igitur hæc via esse potest radio-
punicco; verū ad partes magis profundas,
contrà quam assuebat. Præterea minus

recte

recte facere videris, quod radium puniceum
per partem magis tenuem hic transmittas:
quem in prismate per partem crassiorem per-
colabas: cum eadem hic, atque ibi sit ratio:
eademque prorsus lege refractio fiat in prisma-
te, ac sphærâ: ut à principio fuit ostensum.

Non posse vero radium purpureum ma-
gis profundari in illam sphærulam, seu gut-
tam, quam ut latus fiat trigoni isogoni, ex
his erit manifestum. Nam angulus coni ra-
diosi, quo Iris continetur, juxta opinionem
Maurolyci, est rectus: qui altitudinem Iridis
à se obseruatam ait grad: 45. positâ vero
chordâ grad: 120; sit angulus dimidi coni
radiosus grad: 40 prim: 38. Cùm n. angulus
CGE, in figura 2 sit grad: 60. & IC G an-
gulus refractionis grad: 11 prim: 34; si pro-
ducatur EG in I; fiet angulus CIG grad:
48. prim: 26. Est autem inclinatio radij EG
grad: 30, atque hujus refractio grad: 7 prim:
48. si ergo producatur radius fractus DE in
K; continebit cum KI angulum grad: 40
prim: 38. propterea, quod excessus anguli ex-
terni CIG sit angulus refractionis. In libro
de arcu cœlesti ad coroll: theor: 64 angulus
dimidi coni, quo Iris continetur, ponitur grad:
36 prim: 52, ob errorem per inaduententiam
commissum: propterea quod eadem refra-

ctio assumebatur radij D'E cum F'C: unde accidit nimium diminui hunc angulum, contra obseruationem à Maurolyco factam. Iuxta verò hic demonstrata, differt altitudo Iridis ab illius altitudine, non nisi grad: 4 prim: 22. Differentia autem diametri coronæ à semidiametro Iridis est grad: 1 prim: 52 S 48. Vnde corrigendum quoq; theor: 88, quod ex eodem errore processit, in hunc modum.

Diameter coronæ est paulo minor semidiametro Iridis. Atq; eodem modo corrigendū theor: 75. 79. 86 &c. At verò si major fiat chorda quam grad: 120; tum angulus coni radiosī efficitur minor. Assumatur n. chorda C G grad: 122. tum itaq; radij F C inclinatio erit grad: 41, & refractio grad: II. radij verò ab hoc reflexi G E inclinatio grad: 29, & refractio grad: 7. prim: 30. cùm itaq; segmentum G E sit æquale segmento C G; erit aggregatum grad: 244: & segmentum reliquum E B C grad: 116: cuius semissis angulus C G E in peripheriā grad: 58. igitur angulus C I G grad: 47, & angulus I K D grad: 39 prim: 30, semissis coni radiosī, quo Iris continetur, minor angulo à nobis posito. At verò diameter coronæ ex inclinatione jam dictâ grad: 40, prodit grad: 37. In figura enim

13

rā enim 6. quoniam D O assumitur grad: 122, & angulus Z ED æqualis inclinationi datæ grad: 4°; erit angul⁹ compositus ZEO grad: 162: angulus verò reliquus OEX grad: 18: cuius complementum ad angulū rectum, EOX grad: 72. Quod si addatur angulus E •OD, quem ostendi esse grad: 19; fiet aggregatum DOX grad: 101: & hujus complementum ad duos rectos, grad: 79. à quo si auferatur refractio, quam subit radius DO, grad: 7 prim 3°; residuum dabit angulum XON grad: 71 prim: 3°: & hujus complementum ONX grad: 18 prim: 3°: cuius duplum grad: 37 fit diameter coronæ, minor quoq; semidiametro Iridis grad: 39 prim: 3°. Quod si inclinatio radij LD assumatur grad: 47 prim: 10; diameter coronæ euadit præcisè grad: 45: semidiameter verò Iridis grad: 44 prim: 40. E contra verò sumptâ inclinatione grad: 47 prim: 45; semidiameter Iridis efficitur grad: 45: diameter verò coronæ grad: 45 prim: 44. Vnde frustra in valde miris, & magno naturæ arcano reponit Fromundus hanc diametri coronæ, cum semidiametro Iridis æqualitatem: quæ nulla hic est, licet ad eam proximè accedat. Quia verò Abbas Maurolycus semidiametrum Iridis observauit grad: 45; & Ioannes Keplerus

ejusdem magnitudinis diametrum coronæ
inuenit; necesse alterutrum fuisse deceptum:
aut fortasse utrumq;. Siquidem verisimile
non est radium refractū ab inclinatione grad:
47 prim: 45 continere ullius coloris pen-
cillum: cùm in trigono refractio composita,
à quâ solâ colores deriuamus, nulla inuenia-
tur huic similis. In trigono enim refractio se-
cunda est grad: 6 prim: 39. unde composita
refractio fit grad: 20 prim: 29: in sphærâ ve-
rò refractio composita grad: 22 prim: 52.
quarum differentia grad: 2 prim: 23. Dein-
de positâ inclinatione radij colorigeni grad:
47 prim: 45; interuallum inter hujus ingre-
sum, atq; egressum ejusdem à superficie inter-
nâ secundò reflexi, pro Iride secundariâ, con-
tinebit grad: 23 prim: 24. contrà experien-
tiā: quæ idem quasi punctum designat utri-
que. In figurâ 7. radius ex A B. inclinationem
dictam habente, refractus BC est grad: 112
prim: 12: cui æquantur radij reflexi CD. DL.
igitur arcus LB inter egressum DL, atq; in-
gressum AB, erit grad: 23 prim: 24. Quód-
si utriq; radio, videlicet ab inclinatione grad:
41 prim: 34, & ab inclinatione grad: 47
prim: 45, hanc vim colorigenam demus; la-
titudo Iridis proueniet grad: 4 prim: 17.
In figurâ enim 1. arcus EL, differentia incli-
nationis,

14

nationis, est grad: 6 prim: II; & BN grad:
I prim: 37; & demum OF grad: 9 prim: 25.
propterea, quod chordæ EB. BF sint grad:
120 : & chordæ L N. NO grad: 112 prim:
12. Quodsi ergo ducatur ex B parallela ipsi
NO; erit angulus ab hac, & BF contentus in
peripheriâ grad: 5 prim: 31. & ablatâ diffe-
rentiâ refractionis radij NO grad: 9 prim: 2,
atq; BF grad: 7 prim: 48; inclinatio radio-
rum BF. NO manet grad: 4 prim: 7, pro la-
titudine Iridis: quæ non nisi semissem conti-
net unius gradus. At verò pro Iride secun-
dariâ reflexionem fieri vis ab eadem quidem
superficie ultimâ; verùm ad partes opposi-
tas illius guttæ, hoc est in AEB in I figurâ.
Vnde necesse ingressum radij colorigeni fieri
ad partes AFB. Quia verò radij eâ ratione
reflexi diuergunt ab axe Iridis; nullâ ratione
fieri potest, ut ad oculum perueniant, siue ab
hac, siue ab aliâ quauis guttâ; tametsi major
esset oculo Cyclopis. Quodsi eosdem radios
assequi velit; necesse sanè aut oculum, aut
guttam transferri: ut hac ratione eidem fiat
dextra, quæ ante fuit sinistra: atq; tum eandem
Iridem, de quâ jam dictum, nasci contingit.
Quodsi enim gutta H dextrorsum ferri cogi-
retur ultrâ axem Iridis; radij à segmento A
FB reflexi non jam sentiri valebunt ab oculo
in codem

In eodem axe cōstituto ; sed alij, qui nimirūm
à segmento AEB reflectunt. Non potui er-
go satis mirari tantam haīlucinationem : sed
demum in eam opinionem deueni ; illud ge-
minum simulachrum à superficie internā re-
flexum , & in ejusmodi radios coloratos jam
dispertitum, tibi occurrisse. Quandoquidem
in majori remotione ad easdem partes , hanc
phasim tua gutta reddidit. At in videndo so-
lūm quæ subtilitas ? nisi fortè putas tuis tan-
tum oculis pattuisse. Quod tamen spectacu-
lum etiamnum puer in guttis ad herbarum
folia pendiculis, non sine oblectationis sensu,
sæpius usurpavi. Quia verò in assignandâ hu-
jus causâ prorsus aberras ; dum ex oppositâ
illius guttæ parte, alterius simulachri radios
educere moliris, quod nullâ ratione posse fie-
ri jam ostendi ; nequaquam dici potest myste-
rium secūdariæ Iridis à te planissimè enucle-
atum.

IX.

Ordinariè interstitium vacuum est inter
primariam & secundariam Iridem.

Quoniam est pluvia decidens : tunc autem non
potest à contiguis primæ Iridis guttis fieri refle-
xio in oppositas partes, ut appareat ex translatio-
ne gutto

ne guttæ in aëre per 8 hujus : ergo necesse alia quod interuallum intercedere. Quod si differant plana ; posse contiguas esse Irides primariam & secundariam.

Verùm hanc rationem refellit obseruatio facta à Fromūdo, quam huc adducis: ubi Iris gemina, in eodem plano existens inæqualiter distabat : quemadmodum in theor: 92 corol: 2 ostendi. Deinde tametsi illa gutta reflectens ab oculo remoueatur : semper tamen idem angulus coni Iridis manet. Vnde necesse inter utramq; Iridem eandem differentiam anguli conici perstare : à quo mensura sumitur hujus interualli. Præterea jam ostendi, nullâ ratione fieri posse, ut imago reflexa in oppositas guttæ partes, siue ex eodē, siue ex diuersis planis ad oculum perueniat : nisi vel oculus, vel ipsa gutta in oppositam lateris partem transferatur : atq; tum nihil differre ab Iride primariâ. Latet itaq; Iris secundaria etiamnum planissimè : ac proinde inter utramq; manet ignotum interuallum.

X.

EX eodem pluviae plano non possunt plures duabus videri Irides, eaq; ordine colorum concreas.

Probæ

Probas ex totidem reflexionibus ab una
guttâ in aëre huc illuc translatâ, quæ non
nisi duæ esse possunt: ex utroq; latere una.
At verò eadē ratio, siue in uno, siue in diuer-
sis planis guttæ rorantes sint: cùm angulus
coni idem semper maneat. Nunquam ergo
plures Irides duabus videri poterunt. Cur
igitur ejusmodi guttas iridigenas ad idem
planum coarctas? Quia verò plures duabus
obseruauit Vitello; hinc necesse tua funda-
menta vacillare. Deinde sic argumentor.
Tot Irides esse possunt ab eodē plano, quot
imagines secundæ reflectunt à superficie
ultimâ ejusdem guttæ: at verò plures imagi-
nes duabus inde reflectunt: plures ergo Iri-
des duabus esse possunt in eodem plano. Ma-
jor est tua. pro minori tuos oculos appello,
quos adhibe. Videbis enim hoc alterum si-
mulachrum erectum, & coloratum circâ ip-
sum ingressum radij: qui primùm in partes
oppositas guttæ, inde rursum ad partes axi
vicinas reflectit. Erunt itaq; hac ratione
quatuor Irides, utrinq; videlicet duæ, ob
totidē imagines coloratas. Quid si totidē alias
adjungam? Neq; enim hæc imago, quæ vel
à primâ reflexione internâ, vel secundâ pro-
uenit, est una & simplex, sed geminata. Nam
totidem faculas, aut Soles inde resultantes
perci-

16
perciplies in certo situ, sua singulos Iride insig-
gnitos. erunt itaque subinde octo Irides ab
eodem plano rorido. Ecce quam fæcunda
tua principia! à quibus enim duas Irides cō-
cipere sperabas; omnino octo nascuntur.

XI.

IRIS ibi videtur, ubi Sol à guttis reflectitur.

REclamat huic propositioni tua propria
experientia in theoremate septimo. Vbi
locum Iridis, quæ circa vicinum fontem na-
scebatur, in ipsis nubibus tibi visum afferis.

XII.

MOto oculo movetur & Iris.

CVm Iris in omni situ contineatur sub eo-
dem angulo; necesse, si oculus recedat
ab eodem plano, continuò Iridem & majo-
rem, & remotiorem æstimari. Non igitur, ut
ais, fugit sequentem, aut hanc insequi vide-
tur: sed potius opposito modo habere. Fa-
uet experientiâ. nam & ipse aliquando pro-
piùs accessi ad alterum cornu: in quo quidem
Iridem amisi; qui verò longè adstabant, me
Iride circumfusum cernebant. Cötigit quoq;
ante annos 23. in sylva eram habens itineris
comitem

comitem Georgium Marci fratrem, & duos
tresve alios: vis autem pluviæ ingens coelo
ruebat: & ecce tibi ante oculos Iris exorta,
mediam viam amplexa. Vix oculis meis si-
dem habebam: quare aliorum quoque ocu-
los appello. Omnes idem mecum affirmant.
Iamq; eidem vicini facti, ob repentinum cœ-
li fulminantis fragorem, consternatis equis,
sub ipsum arcum transiimus. Necdum enim
Iris videri desierat, dum equi priores, sex
enim juncti erant, sub arcu essent. Tum ego
ad fratrem. cui unquam Romano triumpho
talis arcus fuit erectus! & ut verum fatear:
jam tum hæc pulchra Thaumant as suis auri-
comis me cœpit ocellis. Neq; dehincere vo-
lui; priusquam inuentam talcm, qualis cœli-
colis videri solet, animo meo desponsarem.

XIII.

SI omnes guttae in eadem essent superficie pla-
nâ, ad quam linea per centrum Solis & oculi
perpendicularis; esset Iris perfectus circulus,
vel perfecti pars circuli.

IRidem quomodocunque reflexam, esse
sectionem coni per axem, ac proinde cir-
culum, vel ellipsem, ostendi in libro de arcu
coelesti, & constabit ex dicendis. Cùm itaq;
nor

duos
coelo
vra,
is. li.
ocu-
pant,
co-
quis,
enim
, sex
nego
npho
tar;
aur-
evo-
cceli-
rem.
ie pla-
3 oculi
calus,
esse
de ci-
de arcu
unitag
non

non nisi sub ratione coni ad sensum veniat; necesse hanc circularem estimari à sensu; si-
vc ab eodem, sive à diuersis planis reflectat.

XIV.

Si Iris est perfectus circulus, aut perfecti circu-
li perfecta pars, non potest ejus esse axis li-
nea per centrum Solis & oculi ducta.

Igitur si axis Iridis incedat per oculi & So-
lis centrum; Iris illa non est circulus perfe-
ctus. at in 13. prop: linea per centrum Solis
perpendicularis ad planum roridum est axis
Iridis, ; hæc autem circulus perfectus. Ea-
dem ergo Iris in unâ tuâ propositione est cir-
culus perfectus; in alterâ non est circulus
perfectus. Probas tuam assertionem. quia
cùm ordinariè illa linea non sit perpendicularis
ad illam superficiem; neq; ordinariè conus cono-
stituetur; igitur nec axis illa linea per centrum
Solis & oculi ducta. Quasi verò ad ellipsem
axis coni sit perpendicularis, aut hujus ex-
trema non cōtineantur in superficie conicâ.

XV.

IRis ordinariè non est perfecti circuli pars per-
fecta.

C

Vera

VEra quidem est hæc propositio; sed non
vera, quæ ad hujus probationem assu-
muntur. Si inquis, esset p. rfectus circul⁹, esset
respectu oculi videntis Irim; sed respectu hujus
non potest esse. Vtrumq; falso. Sequia
quidem tibi ipsi hic in eādem propositione
ubi ait oculum parti circuli alteri propiorem,
non videre cum circulū, circulū, sed ellip̄sim.
Tamen si ergo Iris esset circulus perfectus;
non tamen respectu oculi esset necesse circu-
larem videri. Quod verò respectu oculi cir-
cularis non sit, ex eo probas. quia tum linea
à guttis refractoreflexæ conum constituenterent
ad oculum: adeo q; ad angulos æquales resilirent
à superficie prima guttarum. Quod fieri nequit:
cum Sol sit altior oculi; & planum ob guttarū
descensum verticale. Verùm scire debebas,
hanc reflexionem non fieri ex illâ planitie ve-
luti speculari, sed à guttis in eādem roranti-
bus. At verò nihil refert quem situm habeant
in illâ planitie; dummodo ex illis guttarum
sphærulis radij ad angulos æquales refle-
ctant. Quod quidem fieri nequit, nisi illæ gut-
tæ in superficie conicâ situm habeant. In fi-
gurâ 3 sit A Sol, B oculus, planum roridum
EDC; à quo Iridem reflecti oportet ad ocu-
lum in B. Dico radios EB, CB esse in superfi-

cie conicâ. Producatur enim per centrum
Solis, & oculi ad illud planum, linea recta
ABD. Quia itaq; radij incidentes AE. AC
sunt paralleli, aut certè æqualiter ad axem B
D inclinati, quæ quidem inclinatio major esse
non potest semissæ unius gradus; & anguli A
CB. AEB à radijs incidentibus & reflexis cō-
tentî, inter se æquales; erunt quoq; anguli re-
liqui EBD. CBD inter se æquales: ac proin-
de EBC conus; hujus verò axis recta BD. Et
siquidem radij reflexæ EB. CB sunt æquales;
erit Iris circulus perfectus; & axis ad illud
planum rectus. Assumatur jam aliud planū
FC, secans obliquè axem ABD. Dico etiam
ab hoc plano radios reflexos conum consti-
tuere: Iridem verò non circularem, sed ellip-
ticam esse. Quia enim radij incidentes AE.
AF sunt paralleli, & anguli AEB. AFB inter
se æquales; erit quoq; angulus FBH æqualis
angulo EBD, hoc est illi æquali ostendo DBC.
conus proinde FBC; atq; Iris FC secans ob-
liquè conum per axem, elliptica. Non posse
verò ab ullâ guttâ extra hanc superficiem co-
nicam ad oculum B reflecti ullum radium,
ita ostendo. Sit hæc gutta, si fieri potest, in
G. VG. erit itaq; angulus externus AGB ma-
jor angulo interno & opposito AEB: ac pro-
inde radius GB non est reflexus à radio inci-

dente AG. propterea quod anguli a radijs refractoreflexis contenti, pro singulis coloribus sunt definiti. Ex hac ergo demonstratione fit manifestum, rationem coni perstare immotam, tametsi forte Iulius Scaliger cum Fromundo, & alijs Iridem valde obliquam, & prope alterum cornu adstantes spectarunt. Si enim planum pluviae mutetur in CF; oculus in B alterum quidem cornu Iridis in F, per rectam BF, propinquum; alterum vero in C, per rectam BC, remotum videbit.

XV.

Nunquam appareat integro gyro Iris.

Cum hic potissimum agatur de Iride coelesti; non est illaratio defectus circuli: quia nimurum intuens ipse sibi cripiat corporis umbram, reliquum segmentum. Nam neque si totus esset diaphanus, & absque omni umbram, majorem arcum videres. Iris quoque tua contra Solem, ad prop: 28, est extra tui corporis umbram: neque tamen integra, sed mutila spectatur. Hujus ergo ratio est, quod axis coni radiosus, cum Sol est horizontalis, fiat parallelus ejusdem plano: idem vero fecerit cum Sol ab eodem ascendit. unde necesse erit deprimi centrum Iridis, quantum hic eleuatur:

eleuatur : semissem verò ejusdem circuli, seu
Iridis conspici, cùm Sol est horizontalis.

XVII.

ET si Sol non major esset humano capite, tamen adhuc fieri posset primaria Iris.

LAtitudò Iridis prouenit à diametro Solis: unde non majorem semisse unius gradūs eandem probat Franciscus Maurolycus, & alij optici: idemq; à me ostensum in libro de arcu cœlesti. Quódsi itaq; Sol non major esset capite humano; illius diameter continebat minus, quām unum decimum minutum: unde latitudo Iridis non æquaret illam lineam, quam duxisse fertur quondam Apelles.

An verò tui oculi ejusmodi Iridem discernerent, ignoro: mihi certè, qui oculos habeo minus perspicaces, inconspicuam Irim generaret, tametsi Sol major esset Rhodio colosso.

XVIII.

ET si non esset Sol ita circularis, Iris tamen adhuc appareret.

QVia, inquis, sensus non potest tantum advertere differentiam. Facit ergo ad hanc

differentiam peripheria luminosi: ac proinde
hujus magnitudo. non igitur si Sol ad ma-
gnitudinem capitis humani minueretur; ea-
dem ratio Iridis constaret.

XIX.

Solis demissio facit Irim majorem, altitudo
minorem; in eadem oculi à primo pluviae plan-
no distantiâ.

Probas ex eo, quodsi in linea verticali su-
mantur duæ guttæ, quarum hæc sit altior
illæ; & ab oculo debitè locato ducantur ad illas
guttas duæ lineæ rectæ; ea, quæ in altiorem
guttam incidit, post debitam refractionem &
reflexionem, in locum inferiorem, quam altera
linea reflexa, redibit. Quæratio nullam vim
haberet, nisi radij incidentes cum refractore-
flexis eosdem angulos continerent. Vnde ro-
bur accedit his, quæ contra tuas propositio-
nes alibi dixi. Quia verò illud planum refle-
ctens, in tuâ sententiâ, esse potest vapor aut
nubes, ac proinde non verticale, sed inclina-
tum; atq; ita propositio dubia manere: ma-
gis uniuersaliter eam reddemus, non requiri-
to etiam oculi situ. Sit itaq; in figura 5 illud
planum BC quomodo cūq; situm: & ab ocu-
lo in D ad duas guttas in E. G. ducantur duæ
rectæ

90

rectæ D E. DG. dico radium ex G reflexum
secare radium ex E reflexum : ac proinde in
locum magis humilem peruenire. Cùm enim
angulus DEA sit æqualis angulo DGH , ob
æqualem refractionem & reflexionem, & an-
guli ad K verticem æquales; erunt duo DEK.
DKE simul sumpti, æquales duobus HGK.
HKA simul quoque sumptis. cùmque diso DEK.
DKE sint minores duobus rectis ; erunt quo-
que KGH. AKG duobus rectis minores.
Concurrunt itaque duo radij EA. GH si produ-
cantur.

XX.

Oculus propior superficie pluviae minorem
Irim : remotior spectat majorem.

Non potest absolute vera esse hæc proposi-
tio, nisi eadem Solis altitudo maneat.
Quod si enim Sol ascendat ; oculus vero in-
tere a proportionaliter ab illo piano recedat ;
videbitur eadem magnitudo Iridis peristare.
Loquor in tuâ sententiâ, hoc est cōfusè: nec
enim distinguis inter differentiam magnitu-
dinis Iridis, quæ prouenit ex inæquali distan-
tiâ oculi ad planum, & Solis eleuatione.

Quod si enim oculus ad planū accedat ; mu-
tatur magnitudo circuli, aut ellipsis ; manet

autem segmentum simile. In ascensu vero
Solis, minus fit segmentum; & circulus in el-
lipsim, haec in aliam mutatur.

XXI.

In ter pluvias non spectatur Iris.

Rationem das, quia radij solares ab ipsis
guttis, quae a tergo sunt, impediuntur, quod
minus eas, quae in profundo pluviae sunt, pene-
trent guttas; & in oculum colorati reuertan-
tur. Verum tuæ assertioni reclamat experi-
entia. Ipse ego non semel Iridem aspexi be-
nè madidus. Deinde ratio tua nulla est. Si-
quidem guttae sunt pellucideæ, ac proinde luci
peruiæ: poterunt itaque radij penetrare ad illas
usque guttas, à quibus refracti & in colores
mutati ad oculum reflectant.

XXII.

Lux potest alios mutare colores.

Si lucem puram, nihilque passam intelligas;
non est absolutè vera propositio. Tametsi
enim color ex appulso lucis majoris, intendi-
videatur; non tamen species colorum cùm ra-
tione mutantur. Neque enim puniclus in vi-
ridem, aut cœruleum; neque hi in illum deges-
terant.

84

nerant. Exemplum panni serici solius gravidus mutationem probat. Quia nimirum partes Soli obuersæ, magis intenduntur, splendentesque auersæ & in umbrâ positæ, aut suum retinent colorem; aut defectu lucis in atrum abire videntur. Mutatio demum ad lumen candelæ, non ob lucem præcisè, sed ob lucernam fit coloratam. Miscetur enim hujus flauedo reliquis coloribus, unde medij procreantur: eaque ratione turchosa viridis aestimatur. Reliquæ mutationes colorum non absque refractiōne fiunt.

XXIII.

OMnis colorum apparentium generatio a missurâ lucis est colorum oritur.

Non est vera hæc propositio: cum neque ratio, neque experientia eidem faueat. *Lux*, inquis, potest colores etiam natu*os* alterare, ut noui inde quoad apparentiam proueniant: ergo omnium colorum apparentium generatio merito huic miscellæ potest tribui. Ostendi jam antecedens verum non esse. Deinde etiam hoc dato, illatio nullam vim habet. An quia frigus colorem liuidum, cæruleum, aut puniceum subinde inducit, omnium colorum apparentium ortus eidem tribuendus? Experi-

mentum tuum in vitro conuexo non obmis-
turam lucis & colorum subjectorum, sed ob
refractionem contingit. Cur enim alias in
trigono, atq; eodem conuexo, lumen cande-
læ non in omni situ coloratur, tametsi colore
eiusdem vitri habeat admixtum. Radij quoq;
transmissi, & muro excepti reclamant. Quia
enim vitru tenuius est, cā radios cæruleo trahi
vis: qua crassissimum, puniceo. Quia, in-
quis, tenuius minus de suo colore, crassius plus
luci addit. Igitur color cæruleus, juxta tu-
am opinionem, minus habet de colore subje-
cti: plus verò color puniceus. At vitrum mi-
nūs pellucidum est quām aēr: qui tamē cæ-
ruleus apparet. Vnde vitrum cæruleo ma-
gis cognatum, in parte crassiori plus tinctu-
ræ luci largietur. Miror hanc tuam opinionē
ab experientiâ prorsus alienam in tantum
placuisse tibi, ut per eam alijs non minūs du-
bijs robur addere volueris. De quā in libro de
arcu cœlesti: hic folsam authoritatem oppo-
no P. Athanasij Kircher experimentatoris, ut
scis, non somnolenti. Hic itaq; libro I artis
magnæ lucis & umbræ part: 3. cap: 4. Si, in-
quit, per inæquale densioris aëris diaphanum
ferantur, (radij) quanto intimiūs penetrā-
rint, tanto obscuriore colore inficiuntur: auana-

to verò

et verò minus, tanto clariori. Lux ergo per crystallinum prisma permeans, minus densum diaphanum passa, dilucidior rubet; meraciore verò colore languet. Quæ etiam figurâ adjunctâ magis declarat.

XXIV.

Colorum apparentium præcipue tres sunt;
Puniceus, Xanthus, & Cæruleus.

Exemplum illud de exortu colorum, ex albo & nigro, certâ proportione inter se mixtis, juxta pigmentum Cardani, nihil facit ad hoc, ut persuadeamur colores apparentes simili modo nasci debere, ex luce & coloribus subjecti: nisi forte lucem pro colore albo habeas, reliquos omnes colores cum atro confundas. Non sufficit autem, si docere volebas, ita confusè asserere: omnes colores apparentes fieri ex luce & coloribus veris; verùm addere conuenerat, quinam colores ex quibus, & cujusmodi luce nascerentur. Neq; enim verisimile indifferenter quemlibet colorem ex quo quis alio nasci. In exemplo candelæ non minus confundis. à radice inquis, flamma est cærulea; quia tum lux modica à materia colore superatur: aperte autem flamme ad puniceum accedit; maximè quando sumus

fumus è pice nigrior surgit, & se intemperantius miscet. At hoc eit lucem superari à colore materiae illius nigræ. Igitur uterque color & ruber, & cœruleus adest, ubi lux succumbit & superatur.

XXV.

Ordo colorum in primaria Iride est; extimus puniceus; medius viridis vel flavius; intimus cœruleus.

Nam in remotissimis, inquis, guttis radius reflexus quasi per extremam gutta partem transit, qua non ita crassa est, id est per medium tenuius: & ab intimis reflexus per crassius: igitur hic color erit cœruleus, ille puniceus. Hui, tam citò colorum genituram immutasti: in trigono enim, quâ parte tenuius est vitrum, cœruleo tingebatur; in parte crassiore puniceo: hic autem opposito modo habet tuus Proteus. Sed occurris tenuitatem, vel crassitatem nihil facere ad rem: cum indifferenter eidem colori ex quauis parte sit transitus: sed quod lux refracta primò, deinde reflexa per tale, quoad tenuitatem, vel crassitatem, medium transiens, talcm induat colorem. Sed quid hoc est aliud, quam sepiè succo tuos colores tingi, quo minus à te percipi-

percipientur? Evidem assequi nequeo;
crassitatem & tenuitatem vitri nihil facere ad
coloris genitaram; & tamen idcirco colorē
cæruleum, aut puniceum nasci; quia in parte
tenui, vel crassā illius pellucidi sit conceptus.
Quódsi itaq; crassities vitri nihil huc facit;
neq; miscella lucis aliquid huc faciet: verū
indiferenter à subjecto ob solam refractio-
nem in ejusmodi colores mutabitur.

XXVI.

Possunt esse plures colores in Iride, sive numeri,
ro, ordine tamen.

Non est illa ratio, quam adducis, de nu-
mero colorum in Iride: nempe plurali-
tas superficierum loco ut cunq; dissitarum:
quarum aliæ alijs sint propiores, vel remoti-
ores. Siquidem radij picturam Iridis ad vi-
sum deferentes, sunt in superficie conicā: ve-
rū euolutio colorum mediorum, qui sub
extremis iatuerant, prouenit à sectione magis
obliquā ejusdem coni. Quod manifestum
facit pictura triongi: quò enim obliqui sc-
catur à piano, cò magis numerosi adsunt co-
lores.

XXVII.

Secondo Iris ordinariè debilior priore.

Sensisti

Sensi opinor in hac assertione, tua funda-
menta vacillare: cum in ijsdem stabilire
nequires phænomenon Iridis secundariæ.
In translatione, inquis, gutterum hinc, &
hinc, æqualis est colorum vivacitas; quomodo
ergo in secundâ Iride naturali, tanta colorum
debilitas? Facile hinc perspicere licebat,
hos radios, qui ex translatione guttæ laterali-
ter factâ tibi occurrabant, nequaquam ad Iri-
dis secundariæ conceptum pertinere: ac pro-
inde alios inquirendos secundò reflexos: qui
in majori pilâ forte innotuissent; si non nimi-
ùm tua inuentio subtilis tibi placuisset. **V**t
verò hic ab æquali & æqualiter coloratâ lu-
ce, Iridem secundariam & inæqualem con-
cipias; guttas configis in eo plano, à quo
Iris secundaria reflectit, nimium attenuatas.
Quia numerum constat in ejusmodi guttis Irides
arte productas obliterari. At verò Iris cœle-
stis non solum quoad partes laterales, sed eti-
am ad summam coronidem est dilutior: cædē
verò guttæ, quæ Iridem secundariam pro-
creant, descendentes fiunt conceptacula Iri-
dis primariæ. Non igitur minores esse po-
sunt: sed æquales, aut etiam majores.
Quandoquidem è vapore concrecentes, &
à frigore magis constrictæ, minores efficiun-

24

tur. Sed habeat quomodo cum hoc figura-
tum: cum accessorium sit, poterit abesse.
præsertim cum Iris secundaria quandoque in
guttis humilioribus concipiatur, quam Iris
primaria. Tum itaque par vivacitas lucis co-
loratae in utraque Iride spectabitur. Quod cum
a nullo unquam sit obseruatum; constat ma-
nifestè ruere tua fundamenta. Ex ijsdem con-
texta videtur ratio; ob quam videlicet una
Iride cessante, cesseret & altera. Sicuti, in-
quis, in flammâ, si medium cesseret, et latera
cessant; ita illuc maxima deficiente materia, et
minor, quæ ad latera est cessat. At vero si per
mediumflammæ intelligas ipsum somitem,
unde enascitur flamma; quia haec essentiali-
ter pendet ex illâ, non aliter quam radix à So-
le: comparatio huc est impertinens. Si qui-
dem extrema rubis, aut plani roridi non pen-
dunt essentialiter a medio. Si vero medium
fiamatur pro meditullio flammæ, tum verum
non est, ob hujus defectum deficere reliquam
flammam. Quod manifestum erit, si corpus
opacum traiicias per medium flammæ.
Quod vero quandoque deficiente medio flam-
mam, extrema deficere videantur; id contin-
git ex acciditu materiæ communis, à qua
utrumque pendet. Veram ergo hujus causam
dico, s. quod cum Iris secundaria proueniat

ab

ab iterata reflexione; necesse sanè deficiere
primâ reflexioue, etiam secundâ deficere. At
verò si hæc deficiat, non necessariò illa defi-
cit: cùm plura requirantur ad geminatam,
quām simplicem reflexionem.

Pro majori hujus declaratione, in figurâ 7
habeat radius AB inclinationem grad: 41
prim: 34: à quo refractus BC, & reflexus CD
secundò reflectit in DB: & demū extra gut-
tam seu sphærulam elapsus, oculo in I locum
imaginis sistit in H. Cùm enim BC sit latus
trigoni isogoni, atq; huic æquales CD. DB;
necessè idem punctum B esse viam ingressūs
radij AB, & egressūs radij DB. Quia verò
centrum radians A per radium fractum CB
transfertur in F; si ducatur cathetus FE, lo-
cum imaginis reflexæ CD exhibebit in G,
centro nouo sphæræ radiosæ. Et inde rursus
ductâ catheto GE, quæ coincidit priorâ, lo-
cum imaginis terminat in H: ubi radius fra-
ctus I B cathetum assequitur. Est autem
angulus I B A contentus à radio visuō I B,
& radio incidente AB grad: 79 prim: 22.
Propterea quod angulus F B K æquatur an-
gulo ad verticem DBC grad: 60: cui addi-
ta refractio ABF grad: 11 prim. 54, & I B K
grad: 7 prim: 48, dant angulum A B I grad:
79 prim: 22, pro semidiametro Iridis cun-
dariæ.

dariae. quem theor: 71 ob dictum jam erro-
 rem, posui grad: 83 prim: 8. Cum itaq; se-
 midiameter Iridis primariae sit grad: 40
 prim: 36; interuallum inter utramq; Iridem
 erit grad: 38 prim: 46, intellige cum Sol est
 horizontalis. Nam cum ab eodem eleuatur,
 quia tum radij incidentes secant obliquè gut-
 tas ellipticas; refractoreflexio non fit in cir-
 culo, sed in ellipsi, quemadmodum demon-
 stratur in libro de arcu coelesti, ad theor: 80.
 unde inter utamq; Iridem non jam idem ma-
 net interuallum: quin etiam diameter Iridis
 primariae ob hanc causam mutationi est sub-
 jecta. Inde ergo ratio reddi potest, cur Iris
 secundaria non necessariò societur Iridi pri-
 mariae. Nam sicuti angulus coni radios in
 ellipsi subinde fit minor, atq; minus inter
 utramq; Iridem interuallum; ita quoq; nihil
 prohibet eundem quandocq; fieri majorem,
 quam grad: 79 prim: 22, longè excedentem
 illud spatium, in quo planum roridum conti-
 netur: præsertim in majori distantia ejusdem
 ab oculo. Quæ eadem ratio militat pro Iri-
 de horizontali. Quodsi vero assumatur semi-
 diameter Iridis primariae grad: 45; erit semi-
 diameter Iridis secundariae grad: 67 prim: 17
 S. 25. Quia enim ex demōstratis radius A.B,
 in fig: 7, inclinationē habet grad: 47 prim: 45;

erit refractio grad: 13 prim: 51: & angulus
reliquus EBC, atq; huic æqualis ECB grad:
33 prim: 54. ac proinde chorda BC grad:
112 prim: 12: cui æquatur chorda CD: an-
gulus ergo DEB grad: **135** prim: 36. qui
cùm sit duplus anguli DCB, æqualis verò
duobus DCB, CDO simul sumptis; erit an-
gulus reliquis DOC grad: 44 prim: 24. &
additâ refractione primâ grad: **13** prim: 51,
& refractione secundâ radij DL in egressu
grad: 6 prim: 2 S. 25, fit angulus inclinatio-
nis, quem facit radius refractus ML cum ra-
dio incidente AB grad: 67 prim: **17** S. 25.
unde interuallum inter utramq; Iridem ho-
rizontalem euadit grad: **22** prim: **17** S. 25.

XXVIII.

Iris contra Solem.

HAnc Iridem vocas miraculum hacten-
iauditum: sed vereor ne minus subsistat
hoc miraculum, si ad trutinam Geometriae
reuocetur. Ut enim Iris dicatur media inter
oculos & Solem; necesse huic viciniorē est,
quā nū sit oculus: quod hic minime conti-
git. Sit enim radius refractorius, qui
Iridem defert ad sensum, FC in figurā 2. dico
punctum G esse magis vicinum Soli, quam

et A

fit A centrum sphærulæ, seu guttae, à quâ radius reflectit. Et quia oculus est extra punctum C, in linea CF, locus verò Iridis ultra centrum ejusdem guttae; per theor: 83. necesse oculum esse magis vicinum Soli, quam sit Iris. Producatur ex C recta linea per centrum Solis. Quia itaq; radius refracto reflectus FC cum radio incidente DE, seu huic parallelo AK, angulum cōtinet CKD grad: 40 prim: 38, ex demonstratis ad propos: 8; & angulus A CK est grad: 41 prim: 34, composit⁹ pimirūm ex semisse anguli GCE grad: 60, & angulo refractionis grad: II prim: 34; erit angulus reliquus CAK grad: 97 prim: 48; & hujus complementū CAL grad: 82 prim: 12. Quia verò angulus in Sole est nullus; erit angulus contentus à linea rectâ ex C in Solem productâ, & AC grad: 97 prim: 48, maior angulo oppositum majus, quam sit illa linea ex C in Solem producta: ac proinde punctum C Soli magis vicinum, quam sit A. Vnde necesse tuos oculos inspectandâ illâ Iride hallucinari. Eadem enim ratio hujus Iridis, atq; scripturæ Soli obuersæ: quam quis retro distans, capite verò ultra illam scripturam porrecto legere conetur. Quod etiam manifestum ex his, quæ adjungis. Ais enim, qui-

bus Sol est verticalis, crebro ejusmodi Irides obuersari, circa illorum genua conspicuas: at verò tum oculus est vicinior Soli verticali, quam genua. Quin etiam si vel unum gradum sit eleuatus ab horizonte: propterea, quod sola linea tangens, quae duci cogitatur in Solem horizontalem, angulum contineat rectum: reliquæ omnes recto minorem.

XXIX.

COronantur subinde sidera, majora maximè, & frequentissimè Luna circulari quodam limbo.

Si idem ortus, & eadem ratio coronæ, quæ Sidus, & quæ lucernas ambit; non erit extimus color purpureus, sed puniceus: talis enim coloris tæma ijsdem prætexitur. Nec unquam color cæruleus, sed viridis. Undius inter utrumq; puniceū, coronas lucernarum distinguit: reliquum areæ ad flamمام usq; colore ex flavo rufescente diluitur: cuiusmodi quoq; coronam circa lunam, eamq; vivacissimam obseruavi.

XXX.

Et certum quidem in primis fieri haec coronæ in vaporibus.

No^o

Non usq; adeò certum coronas in vaporibus fieri. Et siquidem vapor non cōstituitur è corpusculis sphæroidibus, quod à te assumptum, minimè verò probatū fuit; tum propositio vera non est. Nam cùm ab ijsdem radijs ultra planum productis, coronæ ortum habeant; à quibus in auersum reflexis, Iris concipitur; necesse sanè à guttis constitui illud planum. Neq; verum in omnibus locis humectis adesse coronas: siquidē ad aquam bullientē, à quâ vapor cōfertim assurgit, nullæ sunt. Neq; nubes sidera subeuntes, hanc phasm inducunt; verūm guttæ rorantes mediæ inter nos & luminosum. Vnde necesse in locis humectis, in quibus adsunt coronæ, adesse quoq; ejusmodi guttas rorantes. Tibi verò vapor omnis cōtinere videtur ejusmodi corpuscula minuta & rotunda, ceu atomos à se levillas, & in aëre natantes. Rationem adducis; quia cùm in cellario vaporoso ex omni parte flammæ coronentur, oportet, sì continuum esset vapor, aërem excludi. Et idem sensum de nube, atq; etiam magis. Quodse nim corpius esset continuum, & non ex atomis coalitum, non guttatim deplueret: verūm ex occursu frigoris nubem cogentis, uniuersa in fluamen recipitaretur. Videtur itaq; tibi vapor

in aëre eo modo, quo sal in aquâ contineri.
Verum inanis hic metus, ne aér deficiat, si
vapor sit continuus, neq; in hujusmodi ato-
mos satiscat. Nam spongia undiq; aquam
recipit, madetq; : neq; tamen discontinua-
tur; quemadmodū neq; aqua in eam recepta.
Quæ enim via fuit guttæ primæ ad intimos
recessus; eadem reliquis guttis huic conti-
nuis peruria manet. Quod idem dicendum
de sale, vitriolo, alumine, & similibus in aquâ
dissolutis : in quibus tametsi humor quaqua-
versum penetret; manet tamen in his quasi
textura linearis, ex individuis fibris coalita.
Quanquam non eadem ratio horum, & vapo-
ris: quod corpora sint solida & ex se ipsis ter-
minata: unde ab aquâ eosq; discontinuan-
tur; dum ulteriorem divisionem respuat illa
atomus, in poro aquæ recepta. Vapor autem
aquæ naturam retinet; atq; aërem canum,
à quo sursum evexitur, eo modo, quo spongi-
aquam, recipere videtur. Unde nihil repu-
gnat & hunc, & illam cōtinua manere. Necq;
verendū, ne nubes uniuersa simul ruat in plu-
viam à frigore compacta: siquidem illa con-
tinuitas est tantum linearis: unde crassescet,
dum minor fit longitudo, in ejusmodi guttas
solidatur. Quodsi atomi essent divisa; non
possent à frigore coalescere, & plures in una
guttam

guttam coire. Ut enim hæc illi confluat, necesse contiguam fieri: frigus autem magis immotas reddit. Demum aīs nihil interesse, siue hoc, siue illo modo habeat nubes: eundemq; ab utrāq; positione sequi effectum.

Nam & per plana & sphærica colorari possūt radij luminosorum. At esto demus per nubem ita solidam, si eo modo habeat, quo vitra illa colorigena, cujusmodi prisma & convexum, possē similes picturas exhiberi: coronam tamen ita nasci non est verisimile. **Quis** enim nubem ita rotundabit, ut vitri conuexi habeat figuram? præterquam, quod ejusmodi corona ab uno duntaxat oculo spectari posset.

XXXI.

FRUENT autem hæc vaporum atomi figuræ sphæroideos, si non planè sphærica.

Non est par ratio horum, & guttarum pluvia: siquidem hæc in statu sunt naturali: unde ratione centri, in quod vim colligunt partes omnes, ad sui conseruationem, rotundantur. At vapores non sunt in statu naturali, ob spiritū igneū, à quo disgregantur, ijsdem inclusum. Talem ergo figuram habebunt, qua em indulget hic herus. Videmus autem

ignem non sphæricè, sed in modum coni, seu pyramidis sursum niti. Aliâ ergo ratione tibi probanda figura sphærica vaporum; quæ hactenus manet indefinita.

XXXII.

Corona siderum sic fiunt.

Demonstratum in libro de arcu cœlesti theor: 40. & 97, radios secundò fractos in egressu sphæræ, seu guttæ postmutuam sectionem à se diuergere; neq; ad eundē oculum peruenire utrumq; colorem ab eadem guttâ refractū, sed necessariò ex pluribus guttis huc corradiare. Cùm ergo ex unā guttâ non nisi unus radius recipiatur; simulachrum verò Solis, aut sideris non in uno radio consistat, verum in omnium collectione; non potest vera esse tua assertio: nimil autem nam nihil aliud esse, quam sidus roties representatum, quot sunt nubis, vel vaporis punctæ, per quæ sidus in circulum refringitur.

Longè verò alia ratio est trigoni armillaris— per quod intuētes flammatin videmus in modum coronæ, eamq; coloratam: hinc enim ob viciniam vitri omnes radij incidentes ab eodem oculo admitti possunt. Quod non cōtingit, si Solem eâ ratione intueamur, ut habet 10 probl:

Quia

Quia verò eam opinionem , quæ in Iridis
ortu, à singulis guttis Solis imaginem refle-
cti vult ad idem punctum, siue oculum, non
improbabilem judicauit ; fortasse idem vide-
tur dicendum de coronâ. Sicuti enim à sin-
gulis punctis in superficie ultimâ sphæræ, seu
guttæ radij reflectunt; ita quóq; idem extra
sphærā producti refringuntur : unde neces-
se ad illud pūctum extra sphærā assumptū,
ad quod unus radius ab objecto potest per-
uenire, totū objectū, mediâ refractione, cor-
radiare. Cui etiam experientia fauet : siquidē
per ejusmodi vitreas, seu crystallinas pilas in
omni distatiâ harum à luminoso, & viisu, ob-
jecta intuemur. Ut verò pars ratio hujus re-
fractionis, & reflexionis fiat manifesta; sit spe-
cium cæcum, seu gutta illa reflectens GH,
objectum CM, & oculus in D. dico si M ex il-
lo cæculo reflectatur in D; ad idem quóq;
punctum D reflecti C ex aliquo punto dicti
speculi GH. Sit enim radius BD ex incidente
MB reflexus : & ducatur recta BC: eritq;
angulus GBC minor angulo GBM, hoc est il-
li æquali DBH: radius verò ex B C reflexus
cadet ultra BD. Quod si verò angulus assu-
matur major, erit punctum reflexionis inter
G & H : & radius reflexus secabit radius B
D, at rigitur hæc sectio fit in punto D, aut

D 5.

infra,

infra, aut demum supra idem D. Si primum;
habetur intentū: si secundum; quia crescen-
te angulo, punctum quidem reflexionis ma-
gis dimouetur à B, sectio verò radij reflexi
cum B D magis ascendit, ipsiqz D fit propior;
necesse demum coincidere eidem: cuiusmo-
di est radius reflexus ED.

At verò in refractione, in figurâ 6. sit Sol
in MKL, à pūcto verò L radius in D primò, &
O secundò refractus, perueniat in B pūctū,
scu oculum: dico reliqua puncta MK mediâ
refractione corradiare ad dictum punctum
B. Habeat enim radius LD inclinationem
grad: 47 prim: 10. tum itaqz radius ON se-
cundò refractus cum XN angulū continebit
grad: 22 prim: 30: quemadmodū ad prop:
8. fuit ostensum.

Vt ergo ex reliquis punctis KM radij inci-
dentes mediâ refractione ad idem punc-
tum B perueniant; producatur ex K Solis centro
radius KD, habens inclinationem grad: 45
prim: 25: cuius refractio grad: 13 prim: 40
S. 14: quæ subtracta relinquit angulum EDQ
grad: 37 prim: 44 S. 46. & angulum DEQ
grad: 112 prim: 30 S. 28. igitur angulus X
EQ erit grad: 20 prim: 4 S. 2: & hujus com-
plementum XQE grad: 69 prim: 55 S. 26: &
demum aggregatum XQD grad: 103 prim:

40 S.

40 S. 12. cùmque refractio radij DQ sit grad:
 8 prim: 56 S. 44; erit angulus XQS grad: 67
 prim: 23 S. 7: & hujus complementum XSQ
 grad: 22 prim: 36 S. 53, major angulo XNO
 secabit proinde radium ON, si uterque produci
 cogitetur. Aut igitur coincidit puncto B,
 aut supra hoc, aut demum infra idem cadit.
 Si primum; habetur intentum: si secundum;
 incidat ergo sectio supra B, inter Q & B.
 Quod si itaque moueatur angulus incidentiae
 inter Z & D; quia angulus quoque contentus a
 radio secundo refracto, & axe, seu XN, conti-
 nuo fit minor; necesse hujus sectionem cum
 radio ON continuo fieri propiorem ipsi B, &
 demum coincidere eidem. Quod si vero se-
 cat radium ON infra B: sumptu inclinatio-
 ne majori; quia tum angulus continuo auge-
 tur; necesse quoque sectionem ipsi B fieri pro-
 priam, & demum coincidere. Eadem rati-
 one ostendemus radium ex M magis obliquè
 incidentem in D, a refractione secundâ pro-
 ductum, cum axe, seu XN angulum contine-
 re maiorem jam dictis: ac proinde ex hoc,
 vel alio puncto refractum coincidere eidem
 puncto B. Vnde sequitur radios Solis ima-
 ginem continentes, non nisi ex alterâ semisse
 sphærule corradiare ad idem punctum B.
 Secundâ partes finistras dextrorum, & è cō-
 tra ferri.

tra ferri. Radius enim ex M secundò refractus cum XN majorem angulum continet, quam ex L & K; & ex hoc, quam ex L.

Quæ verò huc usque dicta sunt de hac imagine, à singulis guttis refractâ, tametsi nostris principijs conformia; nequaquam tamē juxta tuæ opinionis fundamenta valere possunt: qui radios colorigenos, à radijs hoc simulachrum deferentibus, minimè distinguis. Cùm enim radij colorigeni, qui non nisi à refractione determinatâ proueniunt, ab egressu diuergant; necque ab eodem oculo recipi valeant; necesse quóque imaginem colori subjectam distrahi, & majori sui parte à sensu exulare. In 7. enim propos: *gutta, inquis, axi propior reddit cæruleū Solem; paulò remotior viridem; remotissima puniceum.* Non igitur cæruleus in his; aut puniceus in guttis axi propioribus continetur. Deinde vero in propositione tua 25. color puniceus per extremam guttæ partem feratur; cæruleus verò per medium magis crassum; necesse sannè radios uniuersos hanc Solis imaginem differentes per extimam guttæ partem refringi ad idem punctum: quod non minor, rationi est contrarium; quam si dicamus ex eodem punto speculi caui totum objectum reflecti ad idem punctum.

Quod

Quod verò dato hoc egressu radijs puniceis, necesse sit radios quoq; purpureos & andē viam sequi, inde liquet. Cùm enim extimus ambitus coronæ sit purpureus; radius se cunctò fractus, hujus coloris opifex, majorē cum axe angulum continebit: quem jam ostendit à radio magis obliquo, hoc est ad partes guttæ magis extremas incidente produci. E contra verò cùm hic color transeat guttam, quā magis est crassa, ut habet tua propositio 25; necesse aream coronæ centro vicinam eodem colore perfundi: propterea, quod hujusmodi radij minorem habeant inclinationem; & radij ab his fracti cum axe angulum quóq; contineant minorem.

Dubitabis, quā ratione simulachrum tintitur: cùm unius coloris non nisi unicum sit penicillum. Secundò, unde proueniat illa latitudine colorum; quam non solum in coronā, sed etiam Iride videm⁹. Quod attinet primū, cùm radij hoc simulachrū deferentes, ad unū veluti punctum confluant; sitq; conus valde acutus; qui in humoribus oculi factā inuersione, minimum quasi circellum depingit; radij verò colorigeni latescentes continuò divergant; necesse sanè vel ab unius gradus colore, totum simulachrum inuolvi. Ad secundam dico non solum ab unā guttā, sed à pluribus

ribus alijs eundem colorem oculo infundi : quando videlicet diametri simul junctarum guttarum æquant diametrum oculi. Cùm enim radij incidentes sint paralleli ; erunt quoque radij ab his fracti paralleli. Igitur non minor latitudo colorum, quam sit diameter oculi. Quod iutelligendum de ejusdem gradu colore : nam reliqua latitudo, ob radiorum diuergia, à reliquis expletur.

XXXIII.

COrona utcunq; accedunt ad circuli perfecti-
onem.

CVm dicas utcunq; accedere ad circuli
perfectionem, videris eandem negare.

*Quia nimirūm superius nubis planum non sit
perpendiculariter sideri subjectum: cuius tamen
differentia valde exigua, non mul-
tissima. At circularem esse perfectè ostendo.
Quódsi enim elliptica esset, radius visivus ex
unā parte longior, ex alterā esset breuior: &
radius incidēs, secansq; longiorem, majorem
angulum cum axe contineret: angulus ergo
reliquus cōtentus ab hoc, & radio in suo erit
minor angulo opposito ejusdem coni: nec
proinde eundem colorem, qui non nisi à de-
terminatâ fit refractione, generare valbit.*

XXXIV.

XXXIV.

Colores corone sic sunt dispositi.

Non propterea, quia deficere incipient radij, hoc est lux minui, colores sunt: alioquin lux remissa esset magis apta recipere illos colores. At videmus cum luce intensâ eosdem intendi & vigorari. Deinde cum dicuntur radij paulatim deficere, propter reflexionem & refractionem, donec ultimò in cæruleum desinant; duo hic videntur in dubium reuocari. Primò, cum ad lucis diminutionē faciat tām reflexio, quām refractio ejusdem; Lux autem sensim minuatur; sicuti ex auctâ refractione sit lucis decrementum, ita quoq; ex reflexione magis obliquâ: non quia lux regredietur in colores, quæ nulla esse potest in hac phasis; sed quia lucem aliò vertit. Ergo lucis décedit radius magis oblique incidenti: ac proinde radius magis oblique reflexus est fortior reliquis minus obliquis, atq; etiam perpendiculari, contrâ communē rationis mentem, & experientiam. Lux quoq; à refractione collecta est multò fortior seipso refractâ, ut manifestum in eodem vitro uestorio, quod in confirmationem huc adduxisti. Negemus enim si lux esset minus inten-

sa in

sa in radijs magis fractis, suo accessu lucem
reliquam augeret. Et tametsi hoc fieri de-
mus; quia tamē colores non nisi lucem illam
unitam, & magis intensam afficiunt; non po-
test ratio colorum, ut tua assertio vult, pro-
venire ob lucis debilitatem. Secundō, non
video, quo pacto demum in colorem cœru-
leum desinant radij extremē debilitati: qui,
juxtā tuam opinionem, in trigono per partē
vitri tenuiorem, ex eādem inclinatione & re-
fractione, cum radijs puniceis, ortum haben-
tes, percolantur.

XXXV.

COronæ sunt ordinariè debiliōrum colorum.
Coronæ lunares non nisi de nocte fiunt,
cūm frigus magis dominatur: à quo
por magis condensatur coit: unde necesse
tum atomos in guttas maiores coire, q-
de dic. Ut verò de vivacitate, & debilitate
colorum aliquid statuatur; necesse compara-
tionem fieri ad idem luminosum. Coronæ
itaque lunares fortassè sunt debiliores Irid-
Solari: at verò ordinariè multò clariores,
quam sit Iris lunaris. Et eodem modo co-
rona Solaris suam Iridem superat viuaci-
tate picturæ. Cujus ratio est, quod corona

non

non nisi per refractionem: Iris verò non solum ab hac, verum insuper ab accedente reflexione fiat: præterquam, quod in Iride idem radius bis permeat guttam aëre densorem.

XXXVI.

Potest corona circa Solem spectari ordine cōlorum inuerso.

Hic propositioni adjungis ultimum problema: in quo modū doces Iridem perpetuam circa Solem vidēdi. Quod quidem cōtingere ait, si in locū obscurū per exile & rotundum foramen Solis radij admittantur. Tum enim Solem intuentes, Iride primariā, & cōtandōq; pluribus, eundem coronatū videamus. Circa verò discum Solis plano ibidem atū corona alba cernitur, spatio nbroso inter utruncq; phænomenon intercedente. Negas hæc fieri ob reflexionem in eō foramine aurichalceo; verū à refractione factā in guttis vapidis aéri innatantib;. Vnde nūs Astronomos, & cum his R. P. Christophorum Scheinerum in explorandā Solis dimetro, per hanc viam, errasse. Erroris causa. **Quia**, inquis, **ille**, **cum non per cavum tale,** **per q; vale ego, observarit Solem, sed solū per**

E.

clausum

clausum cubiculum; non potuit ipse tantas habere tenebras, quantas ego: ideoq; neq; distinguere inter verum Solem, & coronas ejusdem. Addis omnem viam nobis præclusam ad hujus notitiam perueniendi. Quia sicuti in Irim refringitur Sol hoc modo obseruandi; ita etiam ipsa vera Solis imago necessariò aliquam patitur refractionem. Unde hac ratione in veram diametri cognitionem nunquam Astronomi deuenient. In qua quidem tui libelli conclusione plures errores videntur cumulari. Et primò quidem R.P. Scheinerum de Astronomia & Opticâ bene meritum, imperitiæ & erroris hic reum agi, parum verisimile videatur. Quasi verò qui tam oculatus fuit in maculis & umbris Solaribus, inter medios fulgores, discernendis; vicinas oculis umbras distinguere nesciuit à luce Solari. At. inquis. P. Scheinerus non potuit habere tantas tenebras in suo clauso cubiculo - quantas ego in mea tenuo longitudinis decem pedum. Itane verò tenebrae in angustum locum coactæ sunt majores, quam in loco expanso? Nam non tenebris lucis priuatio; & ubi lux æqualiter exulat, ibi quoq; tenebrae æquales: in acc. & cōc. luce fit decrementum tenebrarum. Cūm itaq; ilud toramen P. Scheineri luci p̄eruiunt non

majus

magis tuo fuerit; ingressus quoque lucis fuit
æqualis: quâ ergo ratione lux æqualis magis
luminosam efficit totam illam cameram,
quâm tuum parallelepipedū cayum decem
pedale? an non parietes, seu cortinæ circum-
tensæ, à Sole illo inclusi, plus lumen capiunt
eidem vicinæ, quâm remotiores? à quibus
circum quaquam atque in ipsos oculos refunditur.
Concludo itaque in cubiculo P. Scheineri non
plus, aut etiam minus lucis fuisse, quâm in tuo
cauo: ac proinde ex hac radice nasci haud
potuisse tantam hallucinationem. Quod ve-
rò ad illud phænomenon sibi ostensum hæsitâ-
rit; prudenter sanè ille: neque enim decet judi-
cium præcipitare, priusquam in exactam rei
notitiam deueniamus. Accedamus jam ad
causas dicti phænomeni. Negas prouenire à
reflexione in eo foramine factâ: negas, in-
quam, in præterea ratione allatâ. Opta-
rem in figurâ exhiberi hujusmodi refractio-
nes: & ubinam consistant illæ guttæ refracto-
riæ; extrâ, vel intrâ tuum cavum, definiri. An
sorte cauo inclusus, ob angustiam loci, aërem
nubuosum & vapidum, eaque ratione refracti-
oni idor cum reddidisti? neque enim credibile
omnem aërem, etiam siccissimis diebus,
esse adeò vapidum, & in naturâ pellucidi he-
tero genere. Quod si enim in tantillâ distan-

tiā, ob refractionem in aëre, imago Solis aberrat; quid fieri de reliquis objectis? an nō necesse visum ad omnia hallucinari, ac proinde hujus opificem in illius fabricā non parum aberrasse. Posse verò ultramq; phasim fieri à reflexione in eo foramine factā, in hunc modum ostendo. Cūm lamella tua aurichalcea habeat aliqualem crassitatem, neq; illud foramen sit absq; omni longitudine; siquidem hæc formiam habeat cylindri caui; radius hic incidēs, cujusmodi AH in 4 figurā, indeq; reflexus cadet necessariò intra basim disci Solaris GE. Cūm enim angulus in Sole DAB sit quasi nullus, & AD parallela ipsi AB; erit quoq; radius reflexus BF parallelus radio CE. Quia tamen hujusmodi foramen ob sty-
lum, quo excavatur, figuram coni assumit, in medio magis coarctatum, cujusmodi KE, necesse radium huc incidentem AB reflecti in BL, ultra basim Solarem: cuius rati-
nasci contingit illas coronas circa discum Solarem: ex luce videlicet purā huc reflexā.
Vnde neq; ullus intesse videtur color, qui non
citra refractionem esse potest. Porro ex illa
reflexione in foramine factā causari, inde
constat. Quodsi extra illud cavae à parte
dextrā, sinistrā versus producatur aliquod
corpus umbrosum; in disco quidem Solari-

partem

xtram
sum i
coron
abesse
lis pr
sum i
refrac
A gut
nullo
daria
lucern
millar
intuea
etiam

quin
lucop
alpic
per
d'ale
in hun
debile
gulio
riont
pioue
ce plen
missa

partem sinistram, in coronâ verò partem dextram priùs occultabit. Et quò magis planum terminans à foramine dimouetur; eò corona fit major, magisq; à disco Solari abesse videtur. Simili ratione nasci potest tua Iris primaria circa Solem: ab ijsdem nimirū radijs reflexis, atq; in humoribus oculi refractione in hujusmodi colores mutatis.

A guttis verò vapidis, quos in aëre fingis, nullo modo Iris primariâ, sed tantum secundaria esse potest: ut manifestum in coronâ lucernarum: atq; etiam, si per trigonum armillare, aut conum vitreū, aliud luminosum intuearis. Non solum verò circa Solem, sed etiam circa lunam, & sidera magis lucida: quin etiam circa lumen candelæ euenis hæc phasis, si per exile foramen ca objecta aspicias. Quia tamen hoc phænomenon semper adest, quacunq; ratione habeat lamellas, d'indum videtur illas coronas à refractione in humoribus oculi factâ causari. Nam cùm debile sit hoc lucis simulachrum; quod ad singula oculi puncta non nisi radij singuli allucent; non poterit ab his color à refractione proueniens extingui: quemadmodum fit luce plenâ ultra sectionem illam in oculos admissâ.

E 3 Conclu-

Conclusio.

HÆc de Iride, quam exhibet hic subtilis & ingeniosus libellus R. P. Conradi, sint dicta: non studio obtrectandi; sed ut ea, quæ deesse videntur ad hujus complementum, prouocentur. Siquidem intelligo volumen sat grande hujus materiae, haud dubie ijsdeni principijs innixa, præ manibus habere. Nam ut chalibi silex; ita disputationi ingenium aliquum sacerdatur. Quidquid ergo veritatis inest, immotum manet; falsa vero, ubi innotuere, nulli, neq; ipsi authori placere possunt. Nihil dubito meæ quoq; Iridi non paucos defectus, & nævos adhærere: siquidem, ut habet Arabum paræmia, omnis homo defectus, solus autem Deus perfectus: quibus partim ego, partim alij medebuntur. Vbi enim obseruationes accuratores nactus fuero, circa diametrum Iridis; & radios colorigatos per vitra varie figurata, magis exploratos habuero; appendicem, si Deo visum fuerit, operi de arcu cœlesti adjungam. In quâ plura dubia enodabuntur: & obscure dicta luculent accipient. Tu his fruere interea Lector amice, saueq;

Hac quæ sequuntur, inserenda ad propos: ante ultimam periodum. Non igitur bina refractio&c.

Quin

Quin etiam utrinque conuexa hanc speciem erigunt, quoties objectum continetur inter haec, atq; illorum centrum: quod sphæria nequaquam potest conuenire, siue paruis, siue magnis; ob centrum in illarum medio cōtentum: ut proinde debita distantia oculi à pellucido; & utriusq; ab objecto, nihil huc faciat. Demum cùm reflexio secunda in conuexis, seu sphærulis non fiat à superficie ultimâ illarum sphærularum; sed à superficie primâ corporis contigi pellucidi, vel opaci; si eâ superficie manente, auferri cogitemus hanc sphærulam; non minùs haec imago reflexa situm euertit, citrà omnem refractionem.


F I N I S.





Qui etiam nuntiavit concubinatus
etiam etiam concubinatus continuitate
concupiscentia gaudiis et carnis et
nuditate concubinatus, nunc pessimi.
volumen etiam concubinatus etiam
tamen; etiam concubinatus etiam
peritiorumque etiam concubinatus in con-
cubis. De autem concubis etiam pessime concubin-
is etiam concubinatus etiam pessime concubinatus
magis concubinatus etiam pessime concubinatus
etiam concubinatus etiam pessime concubinatus
de autem concubinatus etiam pessime concubinatus
etiam concubinatus etiam pessime concubinatus.





2 V 164














b32



